

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Lecturis has literas, S.D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Aethiops diaconus: cum quo de doctrina Christiana familiariter colloquentes, audiuius eum cum Symbolo, quod habet Ecclesia occidentalis, recte cōuenire: nec de trinitate aliud sentire, quàm quod sentit Ecclesia occidentalis. Ideo quantum nos quidem possumus, commendamus eum bonis uiris. Nam etsi Ecclesia orientalis habet aliquas dissimiles caeremonias: ipse quoq; iudicat quod dissimilitudo earum non tollat unitatem Ecclesie, nec pugnet cum fide. Quia regnum Christi est spiritualis iusticia cordis, timor Dei, & fiducia per Christum. hanc sententiam & nos probamus. Comperimus etiam ex eo, quod ritus, quem nos obseruamus in coena Domini, & Missa, cōuenit cum orientali Ecclesia. Optamus autem, ut omnes gentes agnoscant & glorificent Christum, & ei obediant uera fiducia misericordie ipsius, et dilectione proximi. Ideo rogamus bonos uiros, ut Christianam dilectionem etiã huic hospiti prestare uelint. Vuiceberge, Anno 1534, 4. Nonas Iulij.

Lugd. 238.

Lecturis has literas, S. D.

FV In Argonautico carmine describitur immanitas rōp μωσουϊνωρ, quos esse Muscouios consentaneum est. & in Psalmo 120, querela est Ecclesie, quod exulet inter Mesech: quod etiam Moscouios interpretor. Poterant enim noti esse uicinis Phœni-
cibus:

cibus: quia tunc ea loca tenuerunt, quæ postea Galatæ & Cappadoces occuparunt. At nunc quidem crudelitatis exēpla Muscouij ostendūt in Liuonia, ubi magnam multitudinem in Tartaricam seruitutem abducūt, et honestis matronis ac uirginibus tantibus pudicitiam ubera præcidunt. Sed ut Psalmus dicit, semper habet aliquos Ecclesia hostes, quæ eam persequūtur. Et similis crudelitas nunc in multis regionibus exercetur. Vt autem Deus protegat has regiones, in quibus hospitia Ecclesiæ tranquilla tribuit, crescat in nobis pietas, & simus officiosi erga miseros pastores: ideo cum nuper incendio Pirckitæ conflagrauerit & pastoris domus, & horreum & fruges hoc anno nata: oro ut cæti pastori opem feratis, & in hoc officio exerceatis precationem ad Deum, & fidem & spem pietatis, ut Deus uobis & Ecclesiæ poenas leniat, & uos et Ecclesiam protegat: & hæc beneficia à Deo expectetis propter Filium intercessorem. Et hac spe erecti, mementote etiam gratitudinem erga Deum declarandam esse his eleemosynis, sicut scriptū est: Date, & dabitur uobis. Et ad Corinthios scriptū est: Qui suppeditat semen seminanti, præbeat panem ad cibum, & augeat sementem uestram. Data No- nis Septembris, Anno 1553.

Philippus Melancthon
manu propria.

C 5 S. D.